

lini, et Primæ, atque in fine Completorii, quia continet ipsum fundamentum veræ fidei, quæ est principium bonarum operationum, et contra insurgentes tentationes scutum fortissimum, mediumque ad conservandam vitæ puritatem, et conscientiæ nitorem cum primis necessarium: atque ideo merito frequenter. At vero Symbolum sanctorum Patrum, sive Nicænam (modo supra num. 63 jam declarato) sicut et Symbolum sancti Athanasij, cum condita fuerint Fide quaquaversum jam manifestata, simulque ordinantur ad exclusionem, atque confutationem hæresum, quæ de novo insurrexerant, et ad compescendam hæreticorum garrulitatem, cantantur sub divino Officio alta voce, ac non nisi diebus solemnibus, quando populus ad Ecclesiam convenire, atque hæresum expressius in dictis symbolis rejectarum improbationem audire potest, et docet divus Bonaventura 3. dist. 25. art. 1. q. 1. ad 6; divus Thomas 2. 2. q. 1. art. 9. ad 6.

81. *Quid sentiendum de symbolo quarto, in c. Firmiter, h. t. relato?* — Queritur V. Quid sentiendum de Symbolo quarto, in c. *Firmiter*, h. t. relato? Resp. Præter tria enumerata Symbola, et plures anteriorum conciliorum generalium definitiones, optime in concilio generali (sive Lateranensi sub Innocentio III. anno 1215 celebrato) edita fuit constitutio illa, in c. *Firmiter*, h. t. relato, contra Albigensium, et Almerici hæreses, atque abbatis Joachim errores; quam non incongrue Glossa ad rubric. h. t. appellat Symbolum quartum: non quasi ordine quartum existat (sic enim plura alia Symbola præcesserunt, eo quod in singulis propemodum conciliis institutum fuerit Symbolum aliquod propter errores in eo concilio condemnatos, ut jam supra, num. 54, dictum est), sed quia est quartum ex principalioribus symbolis, breviter omne illud, quod tum in dicto concilio generali, tum in aliis prioribus conciliis, atque symbolis, contra hæreticos definitum fuerat, continens, confirmans, et repetens: unde et dignum iudicatum est, ut ipsis Decretalium libris insereretur, atque in fronte eorum poneretur. Quia igitur exactior ejusdem intelligentia vel maxime conducit ad cognoscendam veram fidem catholicam, juvat brevem ipsius explanationem subjungere, declarando per ordinem singula verba ipsius. Hinc sit:

## § V.

PONITUR BREVIS EXPLICATIO SYMBOLI FIDEI, IN CAP. FIRMITER. H. T. RELATI.

82. *Divisio totius capituli.* — Glossa hoc loco præsens, capitulum generatim dividit in duas partes principales quarum primam ait tractare de sanctissima Trinitate, et ejus operibus, fide catholica, atque articulis fidei; alteram vero de sacramentis. Verum quia confessio sacramentorum novæ legis indubitanter pertinet ad fidem catholicam, ut patet tum ex cit. c. *Firmiter*. § *Una ergo*. h. t. tum ex concilio Florentino in *Decreto Unionis*, ac Tridentino, sess. 7, can. 1. et seqq. hinc melius citatum capitulum, juxta præcipua fidei mysteria, quæ firmiter credenda proponit, dividitur in septem partes principales. Prima continet mysterium sanctissimæ Trinitatis; secunda, opus creationis; tertia, opus redemptionis; quarta, finalem justorum iniquorumque retributionem; quinta, unitatem sanctæ Ecclesiæ catholicæ; sexta, sacramenta ecclesiastica, et tandem septima, triplicem statum fidelium in Ecclesia, nempe virginum, continentium sive viduarum, et conjugatorum. De quibus omnibus singillatim pauca adducentur pro meliori intelligentia cit. c. *Firmiter*. 1. h. t.

83. *Firmiter credimus, et simpliciter confitemur. Explicatur veræ fidei confessio, qualis esse debeat.* — Quantum igitur ad primum attinet, veræ et catholicæ fidei confessionem orditur pontifex, cum toto concilio generali, illis verbis: «*Firmiter credimus, et videlicet corde, et simpliciter confitemur.*» ore. Juxta quod *Rom.* cap. x. 10. dicitur: *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Additur notanter, *Firmiter*: nam veræ fidei confessio debet esse firma, et constans, absque dubitatione aliqua, vel titubatione: tum quia dubius in fide, censetur infidelis, cap. 1. *De hæreticis*; tum quia oportet, ut veræ fidei confessio, etiam ingruente persecutione, aut pulsante quacumque tentatione, non vacillet, neque deficiat: exemplo tot millium sanctorum Martyrum, qui mauerunt sanguinem potius, ipsamque vitam profundere, quam vel in minimo a vera fide deficere. Et *simpliciter*, hoc est, sine exceptione aliqua, vel restrictione; simulque verbis simplicibus, sive claris, et apertis, non autem obscuris, palliatis, vel fucatis, fidem asserendo, balamque confitendo, arg. can.

*Episcopus*. dist. 23. et can. *Quando episcopus*. dist. 24. cum concordantiis. Videlicet

84. *Quod unus solus est verus Deus. Cur hoc dicatur. Homines in sacra Scriptura quandoque vocantur Dii; quomodo? Ibid.* — «*Quod unus solus est verus Deus.*» Per quod detestatur execrabilis idololatria gentilium, plures falsos, et a se confictos deos colentium, in gravissimum despectum unius solius veri Dei, cui soli honor, et gloria in sæcula sæculorum. I *Tim.*, 1, 17. Illi quippe non sunt veri dii, de quibus proinde *Galat.* iv, 8, dicitur: *His, qui natura non sunt dii, serviebatis.* Ubi Glossa interlinearis: «*Non sunt dii natura, sed opinione hominum,*» propria sua malitia excæcorum. Per hoc etiam quod additur «*verus Deus,*» excluduntur illi, quos sacra Scriptura appellat deos, non natura, et secundum totam significationem hujus nominis, sed participative solum, quatenus participant aliquid divinitatis per excellentiam virtutis sibi a Deo communicatæ; qua ratione Moyses appellatur Deus, *Exod.* cap. vii. 1, ibi: *Eccc constitui te Deum Pharaonis.* Aut per adoptionem, seu quamdam similitudinem; Ut *Psal.* lxxxi. 6. *Ego dixi: Dii estis*: non veri, sed per adoptionem et quamdam similitudinem; propter præstantiam gratiæ sanctificantis, qua constituntur filii Dei adoptivi, et ob imaginem Dei in ipsis refulentis. Unde protinus subditur: *Et filii Excelsi omnes, videlicet adoptivi, non naturales, divus Thomas. part. 1. q. 13. art. 9. Abbas; cap. Firmiter. n. 1. h. t.*

85. *Æternus, immensus, et incommutabilis, etc. Tres quidem personæ, sed una essentia, etc. Declaratur.* — «*Æternus, immensus, et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis.*» Quibus verbis diversa denotantur attributa, seu perfectiones divinæ; de quibus frequens fit mentio in sacris Paginis. Et additur: «*Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*»: tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex: » ad exprimendum mysterium sanctissimæ Trinitatis, de quo jam superius n. 7, et seqq. Pulchre ad propositum divus Augustinus, lib. vi. *de Trinit.* cap. x. sic inquit: «*Cæterum in illa summa Trinitate tantum est una persona, quantum tres simul: nec plus aliquid sunt duæ, quam una; et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*» Hæc ille.

86. *Pater a nullo, etc.* — «*Pater a nullo:*»

sive, ut amplius declarat Symbolum sancti Athanasij ab Ecclesia receptum, «*Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.*» Additur: *Filius a Patre solo, non autem a Spiritu sancto, cum sit secunda in sanctissima Trinitate persona, juxta illud Matth. cap. xxviii. 20. Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Atque additur ulterius: «*ac Spiritus sanctus pariter ab utroque.*» nam a Patre, Filioque, simul procedit Spiritus sanctus (ut superius § 2. contra errorem Græcorum jam ostensum) non econtra, ne alioquin idem, ac secundum eandem rationem, foret et principium, et principiatum.

87. *Ab initio semper, ac sine fine: Pater generans, etc. Generatio Filii et processio Spiritus Sancti est æterna.* — Sequitur: «*Ab initio (hoc est, ante tempora, et ab æterno) semper ac sine fine: Pater generans, Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens:*» ad indicandum æternam esse generationem Filii, æternamque processionem Spiritus sancti, quarum quælibet nec initium habet, nec finem, sed semper est, neque præterit, quasi esse desierit, neque futura est, quasi nondum existat, quia æterna est. Hinc Pater cœlestis *Psal.* ii. 7. ad Filium sic ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ubi loquendo de æterna Filii generatione notanter dicitur, *Genui*, ne ea putaretur esse nova, seu incœpisse primum in tempore: *Hodie* autem, ne præterita videretur, quasi esse desierit. Proinde generatio Filii, sicut et processio Spiritus sancti est æterna, semper, ac sine fine: sicut a simili, seclusa tamen qualibet imperfectione (ut exemplificat sanctus Augustinus lib. vi. *de Trinit.* cap. 1.) si ignis esset ab æterno, duraretque in æternum, produxisset ab æterno splendorem et calorem sibi cœvum, semperque produceret, atque producturus esset. Quin imo, si Pater in divinis prius fuisset Deus, et postea primum genuisset Filium, et spirasset Spiritum sanctum, generationis et spirationis activæ accessione mutatus esset Pater æternus. Avertat Deus hanc amentiam! exclamat Doctor subtilis in 1. dist. 9. circa initium, post divum Ambrosium lib. I. *de Fide*, cap. v. vel. vi, quem refert ibidem Magister in Littera. Sic enim neque Pater foret Deus utpote non immutabilis; neque Filius, utpote non æternus; neque Spiritus sanctus ob eandem rationem.

88. *An dici debeat: Filius semper nascitur, vel potius semper natus est?* — Posset hoc loco quaeri, an debeat dici, «*Filius semper*

nascitur, » vel potius, « semper natus est? » Sed recte notat Magister Sententiarum, ac divus Bonaventura in 1, dist. 9 et ibi Scotus q. un. § *Ad tertium*, cum aliis, posse utrumque dici, cum utrumque pariter sit verum. Et hinc c. *Firmiter*, h. t. dicitur, « Filius nascens, et Spiritus sanctus procedens. » Item Joan. xv, 26. *Spiritus veritatis, qui a Patre procedit*. Econtra in Symbolo Nicæni concilii habetur, « Filium Dei, natum ex Patre, unigenitum, Deum verum de Deo vero, natum, non factum: » hoc est, « non factum, » quasi non erat, antequam fieret, aut quia ex non extantibus factus est, aut creatus, prout paulo inferius sese explicat dictum Symbolum. Eodem modo loquitur sanctus Athanasius in Symbolo, dicens: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. Et concilium generale relatum in c. *Damnamus*, h. t. ibi: « Sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit. » Ratio hujus ulterior est: quia generatio Filii est æterna, et continet in se virtute omnia tempora; atque ideo ad omnia tempora potest accommodari, cum omnia tempora in æternitate contineantur; juxta quod *Apocal.* 1, 4. de Domino Deo dicitur: *Qui est, et qui erat, et qui venturus est*. Unde sanctus Augustinus, exponens cap. xvi. *Joannis*, sic inquit: « Erit, fuit, est. Erit, quia nunquam deest: Fuit, quia nunquam deficit: Est, quia semper est »: sicque propositiones de rebus æternis veræ sunt, quocumque tempore exprimantur.

89. *Utraque locutio est vera, sed posterior magis exprimit veritatem*. — Cæterum, licet utraque locutio sit vera, nihilominus illa, « Semper est natus, » magis exprimit veritatem quam ista « Semper nascitur, » prout notat Doctor subtilis, loc. cit. post Magistrum, et alios. Atque in hoc sensu accipiendus est sanctus Gregorius, lib. XXIX. *Moral.*, cap. 1. ubi ait: « Dominus Deus Jesus in eo, quod virtus et sapientia Dei est, de Patre ante tempora natus est: vel potius, quia nec cœpit nasci, nec desiit, dicamus veritas, *Semper natus*: non autem possumus dicere, *Semper nascitur*, ne imperfectus esse videatur. » Siquidem hæc verba, ne contradicant aliis auctoritatibus, benigne sunt interpretanda, ut velint, « Non possumus dicere: *Semper nascitur*; » id est, non ita convenienter, sive non ita congrue ad habendam majorem expressionem veritatis. Forsan enim ex hoc loquendi modo per-versus hæreticus occasionem calumniandi

Filium arriperet, dicendo: « Qui semper nascitur, nunquam est natus, et sic nunquam est Filius perfectus. » Et hoc indicant verba illa divi Gregorii, « Ne imperfectus videatur esse: » non enim ait, quod sit imperfectio dicere, *Semper nascitur*; sed videtur per hunc sermonem significari imperfectio, ob instantiam allatam. Interim si sane intelligatur, etiam hæc locutio est recta, et vera: « Semper enim ac sine fine, Pater est generans, Filius nascens, » ut loquitur concilium generale; sicque semper nascitur Filius de Patre, non quod quotidie iteretur hæc generatio, sed quia ipsa semper durat, estque sempiterna.

90. *Solvitur instantia contra priorem propositionem*. — Neque urget allata instantia: « Qui semper nascitur, nunquam est natus. » Nam hoc procedit solum in generatione creata, ubi differt nasci, et natum esse: secus in divinis, ubi hæc non differunt, sed omnia sunt purus actus. Quod si urgeas: « Ergo generatio in divinis nunquam est terminata. » Resp. cum divo Bonaventura in 1, dist. 9, quæst. 4, concedendo, quod ea quoad durationem non sit terminata, utpote cum semper duret: hac tamen non obstante ipsa est terminata quoad perfectionem, eo quod sit perfectissima, et in ultima sua actualitate existens.

91. *Consubstantiales. Hoc nomen ante concilium Nicænum jam fuit usitatum*. — Consubstantiales, græce ὁμοουσιον, id est, ejusdem essentiae. Quod quidem nomen Patres concilii Nicæni in Symbolo, ad condemnandam hæresim Arianam, aptissime usurparunt: illud tamen non fuisse primo inventum in eodem Nicæno concilio, ut jactarunt Ariani, sed antea jam fuisse in usu Patrum, pluribus ostendit Bellarminus lib. II. *de Christo*, cap. III. Et per hoc nomen *Consubstantiales*, juxta phrasin ab antiquo in Ecclesia usitam concilium generale confitetur, atque credendum esse definit, quod tres personæ divinæ sint unius ejusdemque substantiæ, seu essentiae.

92. *Et cœquales, et coomnipotentes, et cœterni. Declaratur*. — Et « Cœquales, et coomnipotentes, et cœterni. » Nam, ut habet Symbolum sancti Athanasii, « in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: sed totæ tres personæ divinæ cœternæ sibi sunt, et cœquales. » Per quod expressius condemnatur hæresis Arianorum, qui cœternum Patri Filium non agnoscentes, diversas in Trinitate substantias asseruerunt, contra illud Salvatoris, *Ego et Pater*

et unum sumus, Joan. cap. x. 30. Hæc ipso enim, quod aliqua divinarum personarum foret posterior, vel minor altera, illa Deus non esset; cum jam daretur quid excellentius ipsa.

93. *Prioritas originis in Divinis, quia importet?* — Nec obstat, quod inter personas divinas detur prioritas originis. Hæc enim nullam penitus importat prioritatem durationis (quinimo Pater et Filius, utpote correlativa, sunt simul etiam natura), sed solum denotat originem divinarum personarum inter se, hoc est, quod una sit ab altera, nempe Filius a Patre, et Spiritus sanctus ab utroque, non vero econtra. Et hac de causa Pater, utpote a nullo alio productus, dicitur prima in sanctissima Trinitate persona, Filius secunda, et Spiritus sanctus tertia, juxta illud *Matth.* xxviii, 20. *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

94. *Unum universorum principium*. — « Unum universorum principium, » propter unitatem essentiae, substantiæ, atque virtutis operativæ ad extra, quæ omnibus tribus personis est communis, et realiter identificata, ut supra numer. 14. jam dictum.

95. *Creator omnium visibilium, et invisibilium, etc. Ob quas hæreses excludendas addatur? Diabolus vocatur, Deus hujus sæculi: quomodo?* — « Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: » ad condemnandam expressius hæresim Meandrinum, et Archontiacorum, qui, ut refertur in can. *Quidam autem*, 24. q. 3. « Mundum non a Deo, sed ab angelis factum, aut universalitatem hanc, quam Deus condidit, opera esse archangelorum, asseruerunt, » ac etiam Manichæorum, qui crediderunt duo esse principia, unum bonorum, alterum malorum; et addiderunt, quod visibilia ista non sunt creata a bono Deo, sed a malo principio, assumptes in argumentum sui erroris illud *Apost.* II *Corinth.* iv, 4. ubi diabolus appellatur Deus hujus sæculi, illis verbis: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*.

Ad condemnandos igitur hujusmodi errores concilium generale expresse definiit credendum esse, quod unus verus Deus sit « Unum universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium. » Nec obstant allegata verba *Apostoli*. Nam ibidem diabolus dicitur deus hujus sæculi, non creatione, sed quia infideles ac sæculariter viventes eidem serviunt ut Deo; juxta illum modum lo-

quendi, quo *Apostolus ad Philipp.* III, 19. inquit: *Quorum Deus venter est*. Divus Thomas, part. I. q. 63. art. 1.

96. Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, etc. — « Qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. » Quibus verbis hæreses proximæ relatæ amplius damnantur; simulque refertur ordo creationis cœli et terræ, de qua in sacris Litteris, cap. I et II. *Genes.* ex professo tractatur. Concordat illud *Davidicum Psalm.* cxlv, 5. ubi de Domino Deo dicitur: *Qui fecit cælum et terram, mare, et omnia, que in eis sunt*. Et illud *Ecclesiastici* cap. xviii, 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*.

97. *Quomodo Deus creaverit omnia simul?* — Dicitur autem Deus creasse omnia simul, non quidem, quantum ad perfectam formationem, atque ornatum omnium rerum; sic enim sex dierum spatio *perfecti sunt cæli et terra, et omnis ornatus eorum, complevitque Deus die septimo opus suum*, *Genes.* II, 1, 2. Sed dicitur creasse omnia simul, quatenus (ut loquitur allegatus textus concilii generalis) « simul ab initio temporis, » sive in eodem instanti, « utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, » hoc est, tam angelos, quam cælum, angelicam substantiam, atque cælum et terram, licet adhuc informem atque incultam, et successive sex dierum spatio exornatam. Sic quippe omnia simul creata sunt vel perfecte, ut angeli, vel saltem quoad substantiam quodammodo informem, sive quoad materiam primam omnium rerum corporearum, quæ simul una cum substantia angelica ex nihilo creata fuit, et successive variis formis, ex eadem educitis, miro artificio divino exornata. (ADNOTATIO IX.)

98. Diabolus enim, et alii dæmones, etc. *Ostenditur lapsus primi hominis; et angelorum malorum*. — « Diabolus enim, et alii dæmones, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali: homo vero diaboli suggestionem peccavit. » Per quæ verba ostenditur miserabilis lapsus tum malorum angelorum, tum hominum. Etsi enim tam angelus, quam homo, a Deo conditus fuerit bonus: siquidem *vidit Deus cuncta, quæ fecerunt*

rat, et erant valde bona, ut habetur *Genes.*, cap. 1, 31. Nihilominus postmodum uterque per se, sive propria sua culpa, factus est malus. Homo quidem in non obediendo, et contra Dei præceptum ad serpentis suggestionem de fructu vetito comedendo, ut legitur *Genes.*, III, 1 et seqq. Diabolus autem, sive Lucifer, una cum apostatis angelis sibi adherentibus, superbiendo, seque supra divinam majestatem extollendo; cujus lapsus *Isaiæ*, cap. XIV, 12-15, sub persona regis Babylonis, describitur illis inter alia verbis: *Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebam in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detrahemus in profundum lacu, etc.* Concordat illud *Joan.* cap. VIII, 44, ubi de diabolo dicitur: *Et in veritate non stetit: hoc est, in veritate fuit, sed in ea non permansit, prout explicat sanctus Augustinus, lib. XI, de Civit. Dei, cap. xv. Item Epistola canonica sancti Judæ apostoli, vers. 6: Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suam dominicium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*

99. *Diaboli non sunt ex natura sua mali, sed a Deo creati boni.* — Ex quo ulterius sequitur, cum diabolus, alique apostatae angeli dicantur in veritate non stetisse, neque servasse suum principatum, quod ipsi ex natura sua non sint mali, sed a Deo creati fuerint boni, atque in veritate et charitate, seu gratia existentes: quamvis in ea postmodum non steterint, seu ab ea sua culpa contra Deum se extollendo exciderint: prout habetur non solum in can. *Citius ad hoc. § Quod vero de Panit.* dist. 2; sed etiam contra Manichæos, et Priscillianistas, sub anathemate definitum fuit in concilio Bracarense I. can. 7. illis verbis: « Si quis dixerit diabolum non fuisse prius angelum bonum, a Deo factum, etc., anathema sit. » Concordat concilium generale verbis proxime relatis.

100. *Hæc sancta Trinitas doctrinam humano generi tradidit salutarem.* — « Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta, (de quo jam superius num. 7 et 8. et seqq.) primo per Moysen et sanctos Prophetas, aliosque famulos suos, juxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tradidit sa-

lutarem. » Juxta quod Apostolus *ad Hebr.* cap. 1, 1, 2. attestatur, dicens: *Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

101. *Idque secundum ordinatissimam dispositionem temporum declaratur.* — Additur vero, « secundum ordinatissimam dispositionem temporum. » Quia non oportebat totam simul ac semel doctrinam cœlestem tradere humano generi: neque enim id conveniens fuisset, sicuti non expedit: quod pædagogus statim a principio totam simul artem discipulo proponat (non enim is caperet,) sed ordinate, atque per partes, id præstandum est, ut jam dictum n. 76.

## § VI.

CONTINUATUR BREVIS EXPLICATIO SYMBOLI FIDEI IN § ET TANDEM. EOD. CAP. ET TIT. RELATI.

102. *Hic concilium generale incipit confiteri opus redemptionis generis humani.* — « Et tandem Unigenitus Dei Filius Jesus Christus, » etc. Hic incipit concilium generale, et pluribus subsequentibus verbis continuat solemnem confessionem fidei circa opus redemptionis, seu reparationis generis humani quæ misericordissime fuit peracta mediante incarnatione, passione, morteque crudelissima Jesu Christi, Unigeniti Filii Dei: simulque per expressam diversarum particularum appositionem damnat concilium complures hæreses, olim circa Christi Domini tum divinitatem, tum humanitatem exortas. Verum occasione hujus, et antequam ad particularia descendamus, dicamus.

103. *Cur solius hominis lapsi redemptio facta fuerit, non item angelorum peccantium?* — Quæres incidentaliter, cum tam angelus, quam homo lapsus fuerit, cur solius hominis reparatio sive redemptio facta fuerit, non item angelorum peccantium? Resp. I. Potissima, et principalis ratio hujus est refundenda in divinam voluntatem, ac beneplacitum DEI ter Opt. Max. utpote, *qui operatur omnia secundum propositum voluntatis sue.*, *Ephes.* cap. 1, 11. *Et non ex operibus justitiae, quæ fecimus nos, secundum suam misericordiam salvos nos fecit, etc. per JESUM Christum Salvatorem nostrum.* ad Titum cap. III, 5, 6, eum concordantiis.

104. *Non est lapsa tota natura angelica, sicut humana.* — Resp. II. Nihilominus sicut in

cæteris Dei operibus, ita et in hoc, quasdam una cum sanctis Patribus atque doctoribus congruentias afferre licet, ad ostendendam convenientiam æquisissimi judicii divini, volentis potius hominem lapsum redimere, non angelos apostatas. I. Siquidem in angelis non est lapsa tota natura, sed pars dumtaxat ipsius, aliis sanctis angelis in gratia et veritate persistentibus: e contra vero tota natura humana simul lapsa est in Adamo, primo suo parente, in quo omnes peccaverunt, ut loquitur sanctus Apostolus, *Rom.* cap. v. 12.

105. *Peccatum angelorum malorum fuit personale, non singulorum hominum.* — II. Peccatum omnium et singulorum angelorum malorum fuit actuale, sive personale, cum singuli eorum propria voluntate peccaverint: non sic peccatum singulorum hominum, cum multi contrahant solum peccatum originale, ut parvuli; atque etiam ex adultis non pauci sint, qui nunquam actualiter mortaliter peccaverunt, ut sanctus Joannes Baptista, et plures alii sancti.

106. *Natura angelica ex parte corrumpitur nullo suggerente tentatore extrinseco: secus in natura humana.* — III. Natura angelica ex parte corrumpitur, et lapsa est nullo suggerente tentatore extrinseco: licet enim inferiores angeli a Lucifero ad rebellandum contra Deum concitati fuerint, juxta quod *Apocal.* cap. XII, 4, dicitur quod *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum caeli, et misit eas in terram:* tamen Lucifer continebatur intra naturam angelicam, similiter ipse a nullo extrinseco tentatore fuit seductus. At vero natura humana tum in primis parentibus nostris peccavit ad suggestionem diaboli tentatoris extrinseco, tum quotidie eodem suggerente ad peccatum allicitur. Et hæc differentia ponitur hic in littera, dum dicitur, quod demones « per se, » id est, ex propria culpa « facti sunt mali: homo vero diaboli suggestionem peccavit. »

107. *Angeli peccarunt nullo carnis pondere pressi: secus accidit in hominibus.* — IV. Angeli peccaverunt nullo carnis pondere gravati, nullisque ejus passionibus irretiti, sed ex merissima voluntate, atque malitia sua. Secus accidit in hominibus, in quibus ob rebellionem carnis perpetua est pugna inter carnem et spiritum: *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, et dicitur Galat. v, 17. Simulque ob hanc causam: Sensus et cogitatio humani cordis in ma-*

*lum prona sunt ab adolescentia sua,* *Genes.*, cap. VIII, 21. Insuper, et.

108. *Illi peccaverunt cum perfecta omnium cognitione: non sic homines.* — V. Angeli mali peccaverunt cum plena deliberatione, atque perfecta cognitione eorum omnium, quæ ipsos poterant a peccato avocare: non sic homines, quorum intellectus, utpote a sensibus dependens, plurimum est obnubilatus, atque ad considerandum spiritualia et supernaturalia valde impeditus. Proinde peccatum ex ignorantia frequens est inter homines; adeo, ut ipsemet Servator, in cruce pro suis inimicis Patrem exoraturus, hanc humani generis cæcitatem, et ignorantiam, ad aliqualem ejusdem excusationem allegare dignatus fuerit, *Luca* c. XXIII, 34. exclamans: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.* Concordat sanctus Petrus *Act.* cap. III, 17. dicens: *Et nunc, fratres, scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes israhel. Si enim (ut legitur I Corinth. II, 8) cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Justo proinde judicio, « De angelis quidem Deus hoc disposuit, et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, nunquam eam divino munere repararet, » ut loquitur sanctus Fulgentius *de Fide ad Petrum*, cap. III, atque refertur tom. IV. operum sancti Augustini in appendice. Nobis vero hominibus, propter infinitam suam misericordiam, et nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, *misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris, et Salvatorem mundi,* ut habetur *I Joan.* IV, et alibi sæpe. Nunc redeundo ad textum concilii generalis loco citat. dicitur.

109. *Et tandem unigenitus DEI Filius, etc.* — « Et tandem Unigenitus Dei Filius JESUS Christus a tota Trinitate communiter incarnatus. » Siquidem opera sanctissimæ Trinitatis ad extra sunt indivisa, can. *Omnes quos. de Consecrat.*, dist. 3. et can. *Sic enim. § Quoniam.* 28. q. 1. estque uberius declaratum supra num. 13. et seqq. solvendo etiam objectiones.

110. *Ex Maria semper Virgine, etc.* — « Ex Maria semper Virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus. » Juxta illud propheticum *Isaiæ*, cap. VII, 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum Nobiscum Deus.* *Matth.* cap. 1, 23. juncto cap. I sancti Evangelii secundum Lucam.

111. *Verus homo factus, etc. Qui hæretici*